

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
Serenissimo Principe ac Domino,
DN. FRIDERICO AUGUSTO,
Principe Regio, & Electoratus Saxonici
Herede, &c. &c. &c.

DE

LINGVA PRIMA

ex oraculo Mosaico,

Gen. XI, 1.

PRAESIDE

M. ERNESTO CHRISTIANO

SCHROEDTERO,

Ord. Phil. Adiuncto, et SS. Theol. Candi-

dato longe dignissimo,

DNO. PRAECEPTORE ac PATRONO

summopere Colendo,

publice disputabit

AUCTOR & RESPONDENS

ERNESTUS GOTTLIEBIUS,

EBHARDUS,

Lichtenstein: Misnicus,

Ad D. XIII. Jul. M. DCCVI.

VITEMBERGAE,

PRELO SCHULTZIANO.

A.

a. CVIII. 27.

llcoll. diss. A
8008, 27

VIRIS
Nobilissimis, Clarissimis Dominis
CONSULIBUS,
SENATORIBUS,
Apud Dippoldisvvaldensis Primarius,
Eiusdemque Reipubl. Reliquis recti bonique
PRAECEPTORIBUS,

Prudentissimis, Honoratissimis, Dilectissimisque
DN. Mecoenatibus ac **PROMO-**
TORIBUS Suis,
Parentis loco aeternum colendis,

Disputationis huius Philologicae,
Ipso Momo serio, confitente,
Utilis ac commodæ,

&

Ob hanc causam publicae luci, expositae inscriptione gratum ani-
mum atque obsequentissimum, cum calidissimo & candidissi-
mo omnigenae prosperitatis, fortunataeque gubernationis
perpetuae pro virili probat, seque in posterum eni-
xe commendatum
cupit

Cliens V.

multis nominibus obstrictus.



NOBILISSIMI DOMINI
MECOENATES SPECTA-
TISSIMI.

Alia alios delectant. Sunt,
quos curriculo pulverem O-
lympicum collegisse iuvat: Hic gau-
det sarculo patrios findere agros: Il-
lum Attalicae conditiones nun-
quam dimoveant, ut navigare in ma-
ri tempestuoso desinat. Alius lassa
nunc sub viridi arbuto, nunc ad a-
quas lenes membra, sternit: Multos
castra iuvant, bellaque matribus de-
testata: Venator manet sub Jove
frigido: Omniumque herbarum fuc-
cos libenter Democritus expressit:
Et ne lapidum virgultorumque vis
lateret, ætatem inter experimenta
consumsit: Eudoxus quidem in ca-
cumine excelsissimi montis conse-
nuit,

) 2

nuit,

nuit, ut astrorum coelique motus de-
prehenderet: Et Chryfippus, ut ad
inventionem sufficeret, ter hellebo-
ro animum deterfit: Lyfippum sta-
tuæ unius lineamentis inhærentem,
inopia extinxit: Et Myron, qui pene
hominum animas, ferarumque aere
comprehenderet, non invenit hære-
dem. Porro multi vino scortisq; de-
mersi, ne paratas quidem artes au-
dent cognoscere, sed acculatores An-
tiquitatis, vitia tantum docent ac di-
fcunt, ita canentes:

Heu! Heu! quam totus homuncio
nil est!

Sic erimus cuncti, postquam nos
auferet orcus,
Ergo vivamus, dum licet esse
bene.

Mirabile quidem paupertatis inge-
nium, singularumque rerum, quas-
dam

dam artes famas edocuit, aliūq; vicis-
sim aliis capti negotiis, vitæq; gene-
ribus detenti fuere. Me vero ab in-
cunabilis, ut & *Ios Senatores Gravissi-
simi*, doctarum hederæ præmia fron-
tium distinuere, quasique populo
Musæ leves atque amœnæ rudi, sic
separarunt, ut constanter, *DEO sic
fortunante*, iisdem adhærere apud
me constituerim, *vestris* scilicet *Di-
gnitatibus* nullo prorsus modo for-
mosiorem videri massam auri, quam,
quicquid *ignobilis aliquis Ebhardus*
fecit, probe animadvertens. A verlor
ego enim maximo omnino opere il-
los, qui, semel aliquo vitæ genere
laudabili electo, tamen deinceps id
deserunt, & se sibi met ipsis mole-
stos reddunt; Sic ex Medico *Ancina*
fit Theologus: Sic *Hieronymus Lam-
pugnans* Mediolanensis, relicto stu-
dio

dio Philosophiæ & Theologiæ, ad
jurisprudentiam (pecuniæ ergo) se
applicavit: Sic *Paulus Lucius Man-*
cinus, initio ætatis suæ studio Juris
deditus, postea Dux militaris factus:
Sic *Calvinus*, Juris studium initio
coluit, sed postmodum doctrinæ se
sanctiori totum consecravit. Sic *Joh.*
Cantacuzenus ex Imperatore Histo-
ricus evasit, gravissimus enim rerum
scriptor, quibus ipse majorem par-
tem præfuerat, ut tutor Andronici,
dein ut Collega & Imperator, exti-
tit, id quod ex Historia M. Ævi ad
oculum patet: Sic *Everardus Voscuyl*
illustris apud Batavos nominis VIR,
ex Theologo, Medicus emerfit. Itaq;
multos bene alios, qui suas, ut ita lo-
quar, professiones mutarunt, addu-
cere possem, ni L. B. ad Erythræi Py-
nac. ablegandum recte censerem
Sed enim, quorsum hæc, forsan ex
me

me^m quæſiveritis, *Mecoenates Spectatissimi*, perti-
nent, ſtylo non admodum terſo producta? quorſum
hæ cogitationes propemodum vanæ? quo grandis
[Pace V. hæc fingendo, dixerim] tua maculoſa illa,
& turgida, naturali nulla pulchritudine (quæ ta-
men requirebatur,) exſurgens oratio, ac ventoſa
iſthæc, & enormis loquacitas reſpicit? quæ, olim
Athenas ex Aſia commigrans, animos juvenum ad
magna ſurgentes, veluti peſtilenti quodam ſidere
afflavit, ſimulque corrupta eloquentiæ regula ſtetit,
& obmutuit. Quis enim poſtea ad ſummam Thu-
cydidis perfectionem, quis Hyperidis ad famam pro-
ceſſit? ac ne carmen quidem vividum enituit; ſed
omnia quaſi eodem cibo paſta, non potuerunt us-
que ad ſenectutem caneſcere. Hæc & ejuſmodi
alia optimo quidem jure, *Patroni Præcellentes*, ex me
ſi fueritis percontati, breviffimam hanc abſme hu-
maniffime accipietis reſponſionem: Mea equidem
dicta, nullo profecto, ut & decet, quaſi papavere & ſe-
ſamo ſparſa, fucatam, declamatorumque, facun-
diam nullam denotant, ut, quicquid hic facio, aut
ſcribo, habeat lenocinium gratiæ, velut nimium
quæſitæ dulcedinis, & voluptatem potius ſpectet,
quam uſum. Minime vero gentium. Sed potius,
ut conſcientiæ hætenus emortuæ morſu, non lane
mimico, attractus ſuſcitatusque, fidem Veſtram im-
plorem ſumme aliaboro, quo velit hanc dete-
ſtabi-

22 Theat. Crit.

Stabilem meam socordiam, semel tandem ex oculis
denique mentis excussam, facile desplicere, & contra
perhumaniter elargiri, atque committere, ut hoc
specimen meum, in Alma hac Leucorea publice
habitum, de *constanti* studiorum meorum *cursu* ab-
unde testans, in Vestra eruditissima penetrare pos-
sit conclavia, ibidemque perlegendo ei temporis
aliquid impertiri. Quod, ceu spem concepi, si con-
secutus fuero, studia mea (præfiscine dixerim) non
levissima esse colligere inde licebit, ac proinde isthæc,
ceus mundus modio nummos, mihi certe cruda ad-
minimum visa, prudenti *Vestra* eruditione, & eru-
ditissima prudentia, Academica illa exquisita
imo divinissima, quamdiu spiritum duxero, di-
metiri. Quod, ne mihi vertatur vitio, cum maxima
Honoris Vestri Summi præfatione humanissime petit,
ac humillime efflagitat.

V. V. N. N. D. D.

Scrib. in Academia Vitembergensi
d. XIII. Jul. M. DCCVI.

Studiosissimus Cliens, &
tanquam ingratum male
audire indocilis

E. G. EBHARDUS,
SS. Theol. Cult.



Σὺν τῷ Θεῷ.

PROOEMIUM.



Uanti sacrum Hebraeae lin-
guae studium aestimari debe-
at, quantamque prae se ferat
dignitatem pariter ac necessi-
tatem utilitatemve, jam du-
dum summi agnoverunt Pa-
tres, coetusque diviniore Do-
ctores. Et quidem ex antiquis **HIERONYMUS**
Comment. ad Zach. Cap. VIII, 6. & **AUGUSTI-
NUS** de Doctr. Christ. L. II II. qui ad Hebraeam
recurrendum esse veritatem scribunt, si forsan in-
ter Graecos Latinosque quaedam sit diversitas, aut
si quam dubitationem attuleris Latinorum Inter-
pretum infinita varietas. Ex recentioribus vero
per quam multi prodeunt, linguam Hebraeam
summopere commendantes; non dicam in prae-
senti de Pontificiis sanioribus, **ERASMO**, **AL-
PHON-**

A

PHON-

PHONSO, MENDOZA, POSSEVINO, ARIA
MONTANO, MARSENNO, Theologo Parisi-
ensi, aliisque; nec adducam hic Reformato cele-
bres, SIXTUM ab AMAMA, BUXTORFIUM,
CUNAEUM, DRYSIUM, ERPENIUM, GO-
MARUM, HOTTINGERUM, HULSIUM,
IUNIUM, MUSCULUM, PARAEUM, PRI-
DEAUX, Anglum, ac reliquos; sed afferam saltem
unum alterumve Ecclesiae purioris Doctorem,
qui summo in pretio idiomatis Hebraei habuit co-
gnitionem. Sane, si quis unquam sermonem
hunc aestimarit, B. GLASISUS fuit, quippe de
Hebraea lingua ita scribens: *Mel meum est, meum
nectar & ambrosia, meus scopus, mea proa pup-
pisque, Orat. de Lingv. Hebr. necessit. Atque
hinc ejus dignitatem summam hisce ibidem de-
clarat verbis: Hebraeam si linguam dico, rem dico
quae omnium vere Christianorum & mentes &
oculos in se convertere, aestimationemque cum ad-
miratione summa conjunctam concitare debet &
potest. Quam vero necessaria eadem sit scientiae
divinioris Cultori, non dissimulat B. FRANZIUS,
de characteris hujus necessitate maxima ita vehe-
menter differens: Hebraeae linguae studium de-
serere non potest Theologiae studiosus & Theologus,
quam diu huic facultati in his terris operam nava-
bit: qui vero secus fecerit, nec fundamenta intima*
PHON

Fon-

Fontium comparare sategerit, eum divinam vindi-
ctam experturum pronuncio. de Interpr. Script. p. 12.
& 56. Quantum deniq; emolumentum afferat sanctio-
ris linguae cognitio, suo testatur exemplo B. Mega-
lander *LUTHERUS*, amplissimam ejus *utilitatem*
ita commendans: *Scio, quantum mihi contra meos*
hostes profuerit; quare hac quantulacunque cogni-
tione infinitis aureorum millibus carere nolim.
Tom. III. Ien. Lat. f. 444. b. Comm. in Psalm. XLV.
His adiungendi sunt *PHILIPPUS MELAN-*
CHTHON, *B. MATHESIUS*, *AEGID. HUNNI-*
US, *CALOVIVS*, *B. GERHARDUS*, *B. MARTI-*
NI, *MART. CHEMNITIUS*, *WELLERUS*,
GEIERUS, *SENNERTUS*, *WASMUTHIUS*,
PFEIFFERUS, *OPITIUS*, ceterique Theolo-
gi pariter atque Philologi, quos omnes hic recen-
sere nimis foret prolixum; nec est, ut summorum
Virorum conquiram testimonia, nulla enim ho-
minum hic auctoritate opus est, Deus ipse sum-
mam satis suae conciliavit linguae dignitatem,
dum quasi vernacula eadem usus, cumque Mose
non nisi hebraeo idiomate locutus, omnemque
voluntatem suam in Veteri Testamento Hebraice
professus sit. Et quid quaeso hodie tanti aesti-
mamus linguam Gallicam, Italicam, ceterasque
Occidentis linguas, easque avidissime addiscimus?
nonne ideo, quia Principes, hominesque generis

RECTO

A 3

nobi

nobilioris illas amant? Ut igitur quis familiarius cum iis agere, eorumque favorem facilius consequi possit, teneat has linguas necesse est. Sed quanto magis decet Theologum, ut idiomatis illius, quod excellentia ac dignitate sua prae ceteris eminet, quoque Deus, tanquam Rex omnium Regum ac Dominus omnium Dominorum, recte cognosci intelligique potest, facultatem sibi acquirat, eoque supremi Numinis sibi conciliet amorem gratiamque. Quae cum ita sint, non potui, quin animum, divinae consecratum scientiae, applicarem ad sanctum hoc linguae Hebraeae studium, quantumque haecenus in eodem profecerim, publico quodam specimine declararem. Non vero hic laudes atque elogia huius linguae tradam, dignitatemve eius ac fructum prorsus insignem extollam, ne forsan id facturo quis obiiciat: *Quis unquam vituperavit?* uti olim Diogenes cuidam Herculem laudaturo; sed antiquitatem eius pervestigabo, & *an omnium prima sit?* occasione dicti Gen. XI. 1. breviter & pro ingenii modulo exponam. Deus fortunet institutum, & faxit, ut omnia feliciter eveniant!

SECTIO

SECTIO I. PHILOLOGICA.

§. I.

Linguam explanaturi omnium primam, illorum potissimum verborum rationem habebimus, quibus *Moses*, confusionem delineaturus Babyloniam, historiam exorditur. Habentur vero illa Geneseos Capite XI. eiusdemque commate I. atque in *Textu authentico* pariter & *Versionibus* celebrioribus, huius sunt tenoris:

Textus authenticus.

וַיְהִי כֹל־הָאָרֶץ שְׁפָה אֶחָת וּדְבָרִים אֶחָדִים:

Septuaginta Interpretes.

Καὶ ἦν πᾶσα ἡ γῆ χεῖλ ἐν, καὶ φωνὴ μία πᾶσι.

Chaldaica Versio Onkelosi, interprete Ben. Aria Mont.

Eratque omnis terra linguae unius.

Vulgata antiqua.

Erat autem terra labii unius, & sermonum eorundem.

Lucas Osiander vulgatam corrigens.

Erat autem (deest: universa) terra labii unius, & sermonem eorundem, i. e. loquebantur una lingua.

Leo Judae.

Erat autem universa terra unius labii, sermonumque eorundem.

Sanctes Pagninus.

Erat autem universa terra labii unius, & verborum eorundem.

Junius & Tremellius.

Fuerat enim universa terra sermonis eiusdem, & verba eadem erant.

A 3

Seba

Sebastianus Schmidius.

Ceterum fuit (olim) universa terra labium unum & verba eadem.

B. Gerhardus.

Et erat omnis terra labii unius, & verborum eorundem.

B. Gesnerus.

Fuit omnis terra labii unius, & sermonis s. idioma-
tis ejusdem.

David Chytraeus.

Homines in terra utebantur eodem idiomate.

B. Lutherus germanice sic transtulit:

Es hatte aber alle Welt einerley Zungen und Sprache.

Io. Piscator ita:

Denn es hatte die ganze Erde einerley Sprache ge-
habt: Und die Wort waren einerley gewesen / & in No-
tis: Die ganze Erde d. i. alle Menschen auff Erden.

§. II.

Ut vero eo felicius progrediamur, ordineque cuncta persequamur, tribus laborem absolvere Sectionibus constitutum est: videlicet primo *Sectione Philologica*, in qua voces singulas evolvemus, quaeque notatu digna erunt, adducemus; deinde *Sectione Thetico-Polemica*, in qua falsas partim dissentientium opiniones confutabimus, partim veram ac genuinam sententiam firmis suffultam praesidiis demonstrabimus; & tandem *Sectione Problematica*, in qua unam alteramve quaestionem huc pertinentem proponemus, brevique responsione decidemus.

§. III.

In vocum igitur evolutione primum sese offert parti-

particula *Vau*, qua commatis nostri initium facit Hi-
 storiographus Moses; non vero una ratione ab inter-
 pretibus illa exponitur, uti ex Versionum collatione
 constat. *Chaldaeus*, & qui eum sequitur, *Bened. Arias*
Montanus, *Vau* hoc copulative reddunt, per *que* vel
et; *Vulgatus*, *Leo Judae* & *Osiander* adverbative per
autem exponunt; *Iunius* & *Tremellius* causaliter per *enim*
 interpretantur. *Schmidius* continuative per *ceterum*
 exprimit, alii iterum aliter vertendum illud existi-
 mant. Nec mirum, interpretes hic adeo discrepare,
 cum innumeras ferme significandi obtineat rationes
 haec vocula. Modo enim vicem sustinet NOMINIS,
 poniturque pro *in summa*, ut Ezech. XVI. 13. modo
 PRONOMINIS, significatque *a) hic, ille*, 2. Sam. XX.
 8. Mich. II. 1. Num. XXIV. 17. *β) quis, qui* Ruth. III.
 16. 1. Sam. XVII. 42. *γ) quodcunque* Job. XXIII. 13. *δ)*
Et id, idque 1. Reg. IX. 1. 2. Reg. VIII. 9. Esa. XXXII. 7.
 modo VERBI, denotatque tum vocem: *inquam*, quae
 rem dictam repetit, & explicat, Exod. XII. 41. Levit.
 XIV. 9. Deut. XXVIII. 52. tum phrasin: *quod attinet ad*
 Exod. XXX. 37. Dan. I. 10. tum particulas: *id est*, quae
 rem clarius exponunt, ut Gen. XIII. 15. Cap. XXXV.
 12. Deut. V. 16. tum denique dictionem: *quaeso* e.g.
 Ruth. III. 9. *quaeso*, *expande alam tuam* &c. modo
 ADVERBII, habetque significationem partim tempo-
 ris, *tunc* 2. Sam. XII. 5. Esa. VI. 1. *donec, usque dum* Gen.
 XVIII. 5. 1. Sam. XIV. 24. *quum, quando*, Num. X. 5.
 Jer. VIII. 12. partim ordinis, *primum*, Num. IV. 5. *por-*
ro Levit. V. 15. *postea* Num. V. 23. *iusuper, praeterea*,
 1. Sam. XXVIII. 19. *denique, tandem* 2. Sam. XV. 7. par-
 tim quantitatis, *quantum* Jerem. III. 5. *quantum po-*
tes; partim comparandi, *sic, sicut, velut* Num. I. 9.
 Esa.

Esa. LIII. 7. partim corrigendi, *imo, quin*, Num. XIV. 23. Ps. VII. 5. partim affirmandi seu explanandi, *nempe, nimirum*, Num. XXXVI. 3. Ezech. XL. 9. partim optandi, *utinam*, Ruth. IV. 2. Job. XVI. 21. partim demonstrandi, *Ecce* Gen. XXIV. 31. Lev. XXV. 21. partim interrogandi, *an? num?* Ezech. XVII. 15. *annon?* Job. XXXI. 30. *quomodo, quo pacto?* Iud. XIV. 16. *unde, ex quo?* Num. XXXI. 16. *ubi* Deut. XXXIV. 1. Job. XXIII. 3. modo PRAEPOSITIONIS, redditurque vel per *apud* I. Sam. XIV. 18. vel per *contra* Deut. XXV. 11. unus contra alium Psalm. V. 12. vel per *cum, unacum*, Genes. IV. 20. *cum pecore*, Exod. I. 5. *cum Iosepho &c.* modo CONIUNCTIONIS, habetque vim potestatemque primo copulandi, *et, que, ac, atque*, quam significationem prae ceteris in Codice sacro obtinet, ut Gen. I. 1. aliisque in locis fere innumeris; *etiam* Levit. VII. 16. *etiam residuum comedetur*; *adeo* Ps. LXIV. 7. *item* Lev. XI. 28. *tam, quam, tum* Num. IX. 14. *tam peregrinis, quam indigenis*; deinde disiungendi, *aut* Exod. XXI. 17. *aut matri*; *sive* Exod. XXI. 16. *postea adversandi, atqui, cum tamen* Deut. IX. 29. Ierem. II. 11. *Interim, interea* Exod. XIV. 15. *sed, at, vero*, Cant. III. 8. *sed non inveni eum*; *tamen, & tamen, sed tamen* Esth. V. 10. Cant. I. 5. *tum concedendi, quamvis, quanquam* Ruth. II. 13. *porro conditionem ponendi, si, quodsi*, Gen. XXXIII. 13. *alias, alioqui* I Reg. I. 21. *adhaec causandi, nam, enim*, Iud. VI. 14. Es. III. 7. *quia, quod, quoniam* Gen. XXVI. 12. *quandoquidem* Gen. XV. 2. *ideo, propterea* Gen. III. 23. *postquam* Gen. XVIII. 13. *ut* Exod. VII. 26. & denique ratiocinandi seu concludendi, *quare, quamobrem, itaque* Gen. III. 2. Ion. I. 5. modo INTERIECTIONIS, indicatque vel dolentem, *ab!* Gen.

Gen.

Gen. XXXVII.30. ah ego! quorsum ego vadam? Num
XXX 3. vel vocantem, *beus, age*, Est. LVII.3 Ezech. VII.
2. &c. Ex quo apparet, quam late, quantaque signifi-
cationum varietate *praefixum* hoc sese diffundat, ac
quomodo omnes linguae sermonisque partes sustine-
at, ut proinde non immerito a quibusdam *Proteus*
appellari soleat. Neque omnes hic adduximus signi-
ficandi modos, quos haec particula efficit, sed quam
plures silentio praetermisimus, a *Christiano Noldio* in
Particularum Concordantiis recensitos enumeratos-
que, cum quo conf. *Salom. Glasius Philol. S. L. IV. Tract.*
I. de praefixo 1^o, p. m. 873. sqq.

IV.

Quam vero hic significandi potestatem haec vo-
cula habeat, quomodo ve in nostro exponenda loco,
sane in tanta rerum multitudine interpretum ve vari-
etate dictu omnino difficile videtur, interea tamen
duae prae ceteris locum inveniunt notiones: Aut
enim cum *Vulgato, Pagnino*, atque B. nostro Mega-
landro LUTHERO adverbative reddenda: *Erat au-
tem omnis terra unius labii*; linguarum quippe varietatis
iam tum mentionem aliquoties iniecerat Moyses ca-
pite praecedente decimo, commate nimirum 5, 20, 31.
& nunc per hysterosin ejus demum occasionem com-
memorat hoc Capite. Aut cum *Iunio, Tremellio, Piscatore*,
aliisque *αιτιολογικῶς* exponenda: *Fuerat enim univ-
ersa terra sermonis eiusdem*; Moyses enim causam quasi red-
dit, propter quam historiam hanc inserere voluerit,
ne scilicet quis existimaret, linguarum varietatem
semper fuisse, sed nunc certior fieret, eam demum oc-
casione turris Babylonicae extitisse. Vid. *Gerhardus*
Comment. in hunc locum p. 264.

B

S. V.

§. V.

Ceterum, cum nostro in loco Vau istud non *Nomi*, sed *Verbo* praefigatur, annotari adhuc meretur, illud praeter coniungendi usum, etiam vim habere convertendi, verbique significationem commutandi; & hinc ab Hebraeis non solum וְ הַבּוֹר, hoc est *Vau Copulationis*, sed etiam וְ הַפּוֹר i.e. *Vau Conversionis* appellatur. Equidem occurrit nonnunquam Vau Conversivum, Futuris praefixum, ubi non convertendi, sed tantum copulandi vim obtinet, e. g. Esa. V. 15. 16. וַיִּשַׁח & *deprimetur*, וַיִּשְׁפַּל & *humiliabitur* vir, וַיִּגְבַּהּ & *extolletur* Dominus; sicut interdum convertendi solum, & non copulandi officio fungitur, e. g. in Praeterito Esa. LVI. 5. וְנָתַתִּי *dabo* illis in domo mea &c. sic & in Futuro Gen. XXII. 4. וַיִּשָּׂא *sustulit* Abraham oculos in die tertia; huc referendum quoque וַיְהִי *initiale* librorum Esther, Josuae, Iudicum, utriusque Samuelis, Ezechielis &c. multorumque *versuum*, ut omnium libri Ruth, exceptis octo, ubi non nisi conversionis usum obtinet. Leg. *Glasius* loco dicit. Sed in praesenti oraculo utrumque peragit officium, copulat pariter atque convertit, exprimiturque ideo ab interpretibus non solum ipsum Vau per *et, autem, enim* &c. sed Futurum quoque Verbi וַיְהִי ut Praeteritum redditur, scil. *erat, fuit, fuerat.*

§. VI.

Exposita proinde particula, verbo oraculi nostri primo praefixa, ad ipsum progrediamur verbum necesse est. וַיְהִי extat in Textu, quod est a Radice וַיְהִי i. e. *fuit*, scilicet *in rerum natura*: notat enim proprie rei existentiam, seu essentiam durantem, atque per temporis longitudinem extensam, vel, ut *Celeb. Casp. Neumannus* exponit, praesentiam rei extensam & pergentem. Conf.

Conf. P. Mart. Alberti in Porta Ling. Sanct. ad hanc vo-
 cem. Deinde vero quam plurimas gignit locutiones,
 quas omnes hic recensere, nimis foret prolixum.
 Centum & triginta sex numerantur in Concordantiis
 Lanckisii Minoribus, ex quibus unam saltem alteram-
 ve, scopo in primis inservientem, breviter adduce-
 mus. Habet nempe mox significationem *retinendi*,
 e. g. Gen. XXXIII. 9. *Maneat tibi, vel retineas, quod*
tuum est. Sic: Esr. IV. 16. Ier. XXI. 9. Mich. II. 5. mox
 autem vim *possidendi*, ut: Ezech. XLVI. 17. *possidebunt*
hoc usque ad annum remissionis, &c. modo potestatem
utendi seu usurpandi, v. c. Num. X. 2. *quibus uteris ad con-*
vocandum coetum &c. modo significatum tenet *loquendi*,
 ut: Esa. XLVIII. 16. *a tempore, quo locuta fuit haec pro-*
phetia, ibi eram. Sic I. Reg. XVIII. 31. modo iterum alia
 legitur significatione; Sed hic notionem obtinet com-
 munem ac propriam, adeoque ab interpretibus recte
per erat, fuit, fuerat, transfertur; B. noster Megalan-
 der Lutherus, indolem linguae respiciens Teutonicae,
 non invenuste exposuit: *Es hatte / quem etiam in*
interpretatione sua Germanica sequitur Piscator; &
hac ratione expressa ducenties ferme in Bibliis nostris
Germanicis occurrit, uti ex collatione Concordantia-
rum cuilibet facile patebit. Illud adhuc notari me-
 retur, quod verbum *היה* saepe abundet, potissimum in
 descriptione temporis, e. g. Exod. XXXIII. 7. *Et fuit,*
omnis qui quaerebat Dominum, exibat ad tabernaculum te-
stimonii, i. e. cum aliquis vellet consulere DEum, eo exi-
bat. add. Gen. XV. 17. Deut. IX. 11. saepe etiam defici-
 at, & vel Pronominibus, vel Adverbiis demonstrativis
 includatur, v. g. Exod. XXIV. 8. *Ecce sanguis testamen-*
ti, quod mandavit DEus i. e. hic est sanguis &c. sic Iud.

V14 1.Sam.XVII.40. & αἰδοί. Vid. *Fracius* Clav. Script.
S. ad hanc voc.

VII.

Sequitur nunc vocula כּל, *omnis, universus*, quae natales suas ducit ex Rad. כּלל, *perfecit, absolvit, finit*, & quidem vi literarum, *in universum*, h. e. consummavit ex toto, perfecit omni ex parte, absolvit in universum, summam, totaliter & universaliter. Cognationem habet cum כּלה *consummatus est*, & proprie de pulchritudine & forma omnino egregia & consummata dicitur; hinc Graecum καλλύω, *orno ex omni parte*, καλλῶ, *pulchritudo*, καλός, *bonus*: & Latinum colo, *it. cultus* sive ornatus. Vox vero haec nostra כּל an rectius Substantive reddatur per *universitatem*, quemadmodum apud *Glasium* nonnulli perhibent, ita ut sequens vocabulum in gignendi causa ponatur: כּל-הָאָרֶץ, *universitas terrae*, non autem *universa terra*; de eo in praesenti non disputabimus, sed dispiciemus potius de varia eius in Scripturis acceptione. Primo enim pro *omni* accipitur, partim *distributive*, ut Gen. II. 1. Exod. XIII. 2. partim *collective* pro *omni genere*, ut Gen. VII. 14. Levit. XIX. 23. Deinde *totum* significat Exod. XXIX. 18. Deut. VI. 5. Interdum *perfectum* notat; Psal. XXXIX. 6. interdum etiam *sincerum* Deut. IV. 29. Psal. IX. 2. Designat praeterea *aliquem, ullum*, Levit. IV. 1. Ier. XIII. 7. item *unum vel alterum* Eccl. IX. 2. *quemcunque*, & *unumquemque* Levit. XIII. 58. Ies. XV. 3. imo etiam *utrumque* Eccl. II. 14. Prov. XXII. 2. &c. Notandum insuper, per *omnes* intelligi saepe tantum *plurimos* e.g. Psal. IX. 2. *Narrabo omnia mirabilia tua*, i. e. non omnia, quippe quae sine numero, Iob. V. 9. sed plurima. Sic Num. XVI. 29. Ps. XX. 8. Ezech. XXXI. 13. Sed in nostro hoc loco

lo co

loco particula כל denotat simpliciter *omne*, idque non tam collective, quam distributive sumptum, ac respicit universam terram, sive, omnes homines in terra degentes, ne ullo quidem excepto. Silentio denique non praetereundum, quod כל ab ordinario, linguaeque sanctae proprio, construendi modo discedat, locumque inter illa inveniatur Adiectiva, quae Substantivum suum perpetuo fere antecedunt, quare in nostro etiam legitur oraculo: כל-הארץ, non vero כל הארץ, prouti alias Adiectiva apud Hebraeos semper naturali quadam venustate sequuntur, ut Prov. XV. 14. & 20. & Cap. XIX 4. aliisque in locis. vid. *Buxtorffius* Lib. II. Thesauri, Cap. I. Reg. 2. & add. *Glassius* in Gramm. Sacr. Tract. I. de Nom. Adiect. pag. m. 391.

§. VIII.

Pergimus ad vocem ארץ, i. e. *terra*, de cuius origine & Radice non una philologorum mens est ac sententia; sunt enim, qui eam deducunt a רץ *contrivit, concussit*, quia pedibus terra teratur; alii a רץ *currere*, quia terra vere currat, dum perpetuo xxiv. horarum spatio circulum suum absolvat; vel, ut alii derivationis rationem explanant, quia super terram currat & circumdet eam iugiter sphaera; alii a רץ *voluit, concupivit*, quia terra iugiter fructum appetat & concupiscat; alii ab ארץ *thesauros reposuit*, quia suffodiatur vel ad reponendum, vel ad eruendum istinc thesauros, i. e. omnis generis metalla; hinc per Apocopen *ερα*, terra, Erde/ it. Erđ/ quod e terra foditur. Verum hae aliaeque eiusmodi vocis derivationes minus verae aut genuinae videntur; quare alii, iique Philologi praestantissimi, originem ex Arabismo repetunt, ubi

Hebraica Radix אָרֶץ adhuc superstes est, & *depressum* vel *humile esse* significat. Et sic terra à situ nomen sortiretur, dicereturque ab humilitate, quia, in oppositione ad coelum, humilem depressumque locum habet, ac sua quasi deprimitur gravitate. Sed & haec Celeb. Neumanno displicet deductio: Nam *ex illa*, inquit, *apud Arabes elongata Radicis significatione Hebraeorum* אָרֶץ *deducere velle, quod multi faciunt, est praeter necessitatem ad remotiora delabi, cum in propinquo sit, ubi acquiescas; ac proinde vocis huius origenem trahit a* אָר , *quod nisum ad extra importat rei, quae cum impetu aliquo fertur; &* אָרַץ , *singulari nisu aliquo ferri notat, quod vulgo vertitur currere cum veherentia, sicque terra diceretur quasi accursus vel concursus, hoc est centrum, in quo omnia concurrant, & ad quod omnia gravitatis suae nisu tendant.* Leg. laudatus Neumannus in Genes. Lingv. S. Cap. IV. §. 108. p. 105. seq. Conf. M. Lebmannus Diss. de principio Creat. §. xxx.

§. IX.

Quod vero significationem אֶרֶץ attinet, est illud nomen commune seu generalissimum, comprehendens omnes terrae species, imo non terram solum habitabilem, sed inhabitabilem quoque, ut Gen. I. 1. Cap. II. 4. Esa. I. 2. Interea tamen non raro *partem terrae* denotat, eamque vel *habitabilem*, si expressa hominum, aut locorum mentio additur, e.g. Gen. xviii. 18 גוֹיֵי הָאָרֶץ *gentes terrae.* Gen. XII. 2. מֵאֶרֶץ *ex terra tua.* Cap. xxxvi. 6. *in terra Chanaan.* Cap. XL. 30. *in terra Aegypti.* Sic Ruth. I. 7. Ps. xxvii. 13. Esa. xxxiv. 6. &c. vel *inhabitabilem*, in primis si vox הָאָרֶץ *orbis* subjicitur, quippe quae non nisi terram habitabilem significat, e.g. Psalm. xxiv. 1. *Domini est* הָאָרֶץ *terra, & plenitudo*
eius,

eius, כִּבְלֵי orbis, & inhabitantes in eo. Aliquando accipi-
 tur pro agro in terra, ut Exod. xxiii. 10. Nonnunquam
 pro imo aut infimo usurpatur loco, quemadmodum coe-
 lum pro summo, e. g. Ps. CXLVIII. 13. Ezech. I. 15. Plu-
 res huius vocis significatus, quos Schindlerus, Flacius,
 aliique, prolixè collegèrunt, hic recensere, ope-
 rae pretium non videtur; sed exponendum potius,
 quomodo in nostro sumatur oraculo? Nimirum non
 proprie pro globo terreno, seu elementari, sed tropice &
 per Synecdochen, vel etiam Metonymiam subiecti
 pro adiuncto, vel continentis pro contento, ponitur,
 notatque homines incolasque terrae universos, sic-
 uti forte legitur Gen. vi. 12. Vidit DEUS אֶת-הָאָרֶץ ter-
 ram, quod esset corrupta; i. e. omnes homines in terra,
 sive, ut ipse mox exponit, omnem carnem, quae viam
 suam corruperat super terram. Eodem sensu occurrit
 2. Sam. xv. 23. Ps. LXVI. 1. 4. LXXXII 8. XCVI. 1. Es.
 XXIV. 20. aliisque in locis. Neque sine causa voci huic
 Articulus, sive He Emphaticum, praeponitur, sed, ut intel-
 ligamus, omnes omnino terrae incolas eodem usos
 fuisse idiomate, hinc digito quasi eosdem monstrat:
 כָּל-הָאָרֶץ, omnis haec terra. Plura de voce אֶרֶץ tra-
 dunt Buxtorfius Lex. Chald. Talm. Rabbin. p. 230. ubi
 partim quatuor, partim decem terrae nomina recen-
 set. add. Schindlerus, Lex. Pentagl. ad hanc voc. & Flacius
 loc. supra cit. p. 1230. sq.

§. X.

Offert se porro vocabulum שֵׁפֶף, quod est nomen,
 non unam, sed varias in Scripturis admittens signifi-
 cationes. Proprie quidem est labium, sive oris extremi-
 tas, ut Es. xxii. 8. &c. Deinde vero per Synecdochen
 denotat os, e. g. Omnes videntes deriserunt me, & distende-
 runt

runt os. Sic Prov. X. 18. cap. XIII. 3. c. XVI. 27. Per
 Metaphoram designat ripam, & extrema ora fluminis,
 lacus, fontis; item *extremi atem sive ora* poculi, vasis, do-
 lli, navis, imo cuiusvis rei marginem, ut I Sam. XIII. 5.
Populus erat sicut arena, quae est ad littus maris. Sic Gen.
 XX. 17. Cap. XLI 3. I. Reg. VII. 23. 24. 26. 2 Paralip. IV. 2.
 Ezech. XLIII. 13. Per Metonymiam significat *linguam,*
loquelam, ac sermonem, quippe ad cuius instrumenta labi-
 um pertinet, quin imo pro *ipso loquendi actu,* vel etiam
facultate loquendi crebro accipitur, e. g. Esa. XIX. 18.
In die illa erunt quinque civitates in terra Aegypti loquentes
labio Canaan, i. e. lingua Cananaea; Pl. CXL. 4. *sub labris*
eorum venenum aspidum, i. e. cum loquuntur. Sic Iob.
 XII. 10. Ezech. III. 5. 6 Ps LXXXI. 6. &c. Atque hoc sen-
 su in nostro quoque occurrit oraculo, ubi vox רַעַוּ pro
 lingua sive sermone ipso, per Metonymiam scil. *causae*
 pro *effectu,* ponitur, ita, ut *unum labium* exprimat *lin-*
guam unam, sive, ut ipsa statim sequitur explicatio, *ser-*
monem sive loquelam eandem Conf. Autores supra lau-
 dati.

§. XI.

Huic addita est vox תַּחַת, quae quamvis hic & ali-
 bi numeri fit *Cardinalis,* saepissime tamen *ordinem* quo-
 que exprimit, notatque *primum.* Ita usurpatam legi-
 mus Gen. I. 5. *Vespere & mane facta una dies* i. e. prima;
 it. Cap. II. 11. Exod. XXVIII. 17. XL. 2. Levit. XXIII. 24.
 Num. I. 1. Hag. I. 1. imo usurpatur pro *secundo* vel *ter-*
tio I. Sam. X. 3. XIII. 19. Significat deinde quoque *solus,*
 sic Gen. XIX. 9. Sodomitae Lotho respondent: *Unus*
venit ad peregrinandum, i. e. solus. Item: Num. XXXV. 30.
 Ios. XXII. 20. Eccles. IV. 10. Praeterea etiam redditur
praecipuus 2. Sam. XIII. 13. *alius,* alter Gen. XLII. 13. *unus-*
quis-

quisque, singuli Gen. I. 9. *ultimus* Dan. IX. 27. & quia est
 minimus numerus, si numerus est, capitur & pro *pauco*
 Gen. XXIX. 20. *sicut dies pauci*. Originem debet verbo
 אָחַד, *unitus est, congregatus est in unum*, sic ex Hithpael
 Ezech. XXI. 16. הִתְאַחַדְתִּי *unite*, i. e. sis solitaria in aliquo
 loco. Occurrit quoque in Kal, teste R. Dav. in Michlol,
 & Lib. Rad. cuius Fut. est אָחַד, תֵּחַד, יֵחַד ut Gen. XLIX. 6.
 אֶל-תֵּחַד *ne uniat se gloria mea* &c. Ex hac ergo Radice
 est Nomen Masc. אָחַד, & Foem. אַחַת pro inusitata,
 אַחַת, deficiente scil. ה, & cum ת signo foeminineo. Sed
 Secundum R. Dav. in Michlol & Lib. Rad. אַחַת est di-
 ctio per se, non derivata ab אָחַד, quippe ex quo non
 reperitur Nomen foemin. Per Aphaeresin חַד, pro
 אָחַד *unus*, ita legitur scriptum Ezech. XXXIII. 30.
 חַד אֶת-אֶחָד *unus cum uno*. Plurale est אַחֵד *uni*, aut
iidem, prouti in nostro occurrit oraculo, idque non te-
 mere aut sine industria priori superadditum putes, sed
 repetitur magis confirmandi, amplioremque rei certi-
 tudinem inde declarandi causa. Consul. *Sanctes Pagni-*
nus in Thesauro Ling. S. & R. Dav. *Kimchi*, ad hanc voc.

§. XII.

Restat vocabulum וְדָבָרִים, à דָּבַר quod proprie
 notat *eloquium, prolatum*, sive, quod ore profertur, Ies.
 LV. II. deinde exprimit *doctrinam*, ut Prov. I. 6. porro
morem, ut 2. Sam. XV. 6. Neh. VI. 4. Pf. CX. 4. Metony-
 mice *omnem rem, causam vel negotium*, quod dici, vel ver-
 bis in medium proferri potest. Item *aliquid*, etiam
litem &c. e.g. 2. Sam. III. 12. דָּבַר אֶחָד *rem unam ego postu-*
lo. Gen. XVIII. 14. *num occultabitur a Domino דָּבַר aliquid?*
 Exod. XVIII. 16. *quum fuerit eis דָּבַר causa sive lis*. Et
 vers. 21. וְכָל-הַדְּבָרִים הַגְּדוֹלִים *omnem rem magnam, i. e. cau-*
sas maiores, referent ad te &c. Hic vero denotat *ser-*
monem,

monem, vel ipsam linguam, atque eodem, quo supra vox שָׁפָה, adhibetur significatu, & haec notio est etiam communissima, & ubivis in Scripturis obvia e.g. Gen. XXVII.34. Cap. xxxi. i. aliisque in locis. Quod reliquum, descendit illud a Rad. רָבַר locutus est, verbis reddidit voluntatem animi sui, sive, rem animo conceptam prolixius enarravit omni tropo & genere locutionis, ut ab audientibus recte intelligatur, ideoque saepe utendum figuris & verbis, ad nostram consuetudinem aptis. Clar. Neumannus Radicem hanc deducit a Character. רָב protrudere rem, & רָב foras producere, ut sic רָבָה significet, rem aliquam ex capedine, sive loco suo foras protrudere. In Genesi Ling. S. Cap. IV. §. 43. p. 72. seq. add. Alberti in Porta Lingv. S. ad hanc voc. & Avenarius Libr. Radic. h. l.

SECTIO II. THETICO- POLEMICA.

§. I.

Sed ne iusto simus prolixiores in vocum singularum evolutione, de iisdem dicta haec sufficiant. Et pergimus nunc ad *Sectionem alteram*, eamque *Thetico-Polemicam*, in qua sententiarum, circa oraculum nostrum occurrentium, collatio erit instituenda, ita, ut veram ac genuinam a falsis spuriisque discernamus, hasque contutemus, illam vero praesidiis firmis muniamus ac confirmemus. Et primo quidem sunt, qui potius aliena, quam vera in medium proferunt: inter quos merito recensemus *Hugonem Grotium*, qui ad hoc ipsum caput & comma Geneseos, & Not. ad

ad

ad L. I. de V. R. C. contendit, primam linguam plane periisse, nec esse ullam linguam, quae prima appellari possit, sed in omnibus linguis dari reliquias primae linguae. A cuius sententia minus recedit, quin potius acriter eam defendit *Glucherius* Lib. I. Germ. antiqu. Cap. VII. p. 71. Hic enim existimat, linguam illam primam, cum turris Babylonica exstrueretur, per multa dissipatam fuisse idiomata, quae deinde in orbe obtinuerunt, nec prius in unum reditura esse, donec erit εἰς ποιμὴν, ἢ μία ποιμνή, id quod inde demonstrare conatur, quoniam multae voces in diversis linguis eiusdem sint significationis, quae ad nullam possint referri, quam ad primae linguae reliquias. His accedunt *Gerb. Io. Vossius* de arte Gramm. C. X. *Ios. Scaliger.* ad Euseb. n. 1617. *Henr. Kippingus* de Creat. Exerc. XL. *Georg. Hornius* Not. ad L. I. Sulpit. p. 2. aliique. Sed turpe profecto talia sine omni ratione ac fundamento proferre. Varias enim in turris extruptione extitisse linguas, haud inficiamur, inde vero primam statim, quae Deus in Paradiso iam Protoplastis indidit, plane interiisse, nullo modo consequitur. Poena quippe erat γλωττοσύγχυσις, & potissimum ad eos spectabat, qui turri aedificandae intererant; iam vero multi, e. g. Noah cum piis posteris, non erant πυργοποιοὶ sive turrem exstruentes. E. nec in eos poena haec derivabatur, sed per eos potius lingua prima, eaque pura, ac non corrupta, conservabatur. Vid. *Pfeiff.* Dub. Vex. p. 96.

§. II.
Nec desunt, qui ex nimia superbia atque iactantia linguam, quae ipsis vernacula appellatur, primam esse contendunt. Inter quos primas tenet *Theodoretus*, qui tanquam Syrus, & Antiochiae, ubi erat Episcopus,

natus, Syriacum quoque idioma primum appellat, Hebraeum vero post illum ortum esse asseverat. Quaeft. XII. in Gen. A cuius sententia minime recedere videtur *Georgius Amira*, qui Syriacam ea potissimum de causa primigeniam linguam esse ait, quoniam Christus, secundus Adam, Syriace locutus sit, necessario igitur sequi arbitratur, Adamum quoque primum hac lingua usum fuisse, Praef. Gramm. Syriac. add. *Atbanas. Kircherus Oedip. Aegypt. T. II. Class. 2. p. 51.* Sed sententiam hanc esse falsissimam, inde constat, quia primo idioma Syriacum ab omnibus Orientis literaturae peritis pro dialecto habetur linguae Hebraeae, ex eaque suam ducit originem, uti hodie Gallica, Itatica, & Hispanica ex Latina lingua, eaque depravata ac impura, derivatur. Deinde Syriacam quidem extare versionem, notum ubivis est, versionem vero non esse ipsam linguam authenticam, quis non intelligit? Quod de Servatore nostro tanquam Adamo secundo dicitur, illum Syriace locutum, exinde sane nullum huic sententiae robur accedit: siquidem consecutio non est: hoc fecit secundus Adam, Ergo & primus; alias primum Adamum etiam fuisse crucifixum, ad inferos descendisse, & sic genus humanum redemisse, concluderemus, quod vero, cum absurdum sit, apparet inde, in similibus eiusmodi modum esse adhibendum, neque illa ultra tertium (ut vulgo dicitur) comparationis extendenda. Conf. *Cornelius a Lapide* Comment. in Gen. ad h. l. p. 137. & *Calovius* Bibl. illustr. p. 269. add. *Pferff.* in *Introduct. in Orient.* pag. 6.

§. III.

AEquali fere ambitionis passu ambulant ii, quibus
per-

persuasum est, nullam aliam linguam tenere prima-
 tum, praeter *Chaldaicam*, quippe cui solum gloriam
 hanc vendicare conantur; eminent inter illos *Myricaeus*
 Praef. Gramm. Syro-Chald. &, qui partes eius agit,
F. Thomas Campanella de sensu rerum Lib. IV. Cap. II.
 Verum & haec evanescit sententia; quanquam enim,
 non omni destituatur argumento, variisque eam de-
 monstrare rationibus videatur *Myricaeus*, non tamen
 tanti sunt momenti ac ponderis, ut iisdem assentire-
 mur: Primum argumentum desumit ex Ier. V. 15. ubi
 Chaldaei dicuntur מַעֲלָם i. e. gens, quae a seculo
 est, sive gens antiqua, vel iuxta B. Lutherum: Das erste
 Volk. Exinde concludit: Primam gentem primam
 quoque habuisse linguam: Chaldaeos vero appellari
 primam gentem: Ergo & eorum linguam primam
 esse, neminem fore, qui ambigeret. Sed responde-
 mus Chaldaicam gentem apud Ieremiam non dici
 primaevam, sed in suo saltem genere antiquam; siqui-
 dem מַעֲלָם hoc loco non aeternitatem exprimit ab-
 solutam, alias Chaldaeos iam ante mundum & ab
 aeterno fuisse consequeretur; sed antiquitatem genti
 Chaldaicae ita convenientem, ut antiquiori, nempe
 Hebraeae, ideo nihil decedat, notatque adeo *tempus*
longum, ut recte observat *Kimchii* ad h. loc. conf. *Maye-*
rus Philol. S. P. II. p. 246. seqq. Alterum depromit
 argumentum ex Iudith. V. 5. ubi dicitur, quod popu-
 lus Hebraeus a Chaldaeis sit oriundus. Sed licet hoc
 concedamus, Hebraeos dici posse ἀπογόνους χαλδαίων;
 inde tamen non conficitur, Chaldaeam linguam esse
 omnium primam: dicuntur enim ita non ratione lin-
 guae aut cultus, sed saltem ratione habitationis & in-
 colatus. Tertio argumenti loco affert, quod com-

modissime nomina hominum antediluvianorum ex Chaldaea deducantur lingua. Verum quidni commodius ex Hebraea ea derivarentur? aptiorem sane ad Nomina illa deducenda vix reperiemus; & licet largiamur, pauca quaedam ex Chaldaismo materialiter suam sortiri originem, minime tamen de omnibus ac singulis idem formaliter poterit affirmari. Quarto urget Chaldaici sermonis simplicitatem, quam prae Hebraeo habere arbitratur. Sed et hoc a veritate alienum videtur: siquidem Hebraea lingua prae caeteris amat simplicitatem, ac omni, quocunque potest, modo respuit compositiones, exprimitque per unam vocem, duabus vel tribus literis constantem, quod in aliis linguis per plures vix poterit declarari; Quinto denique causae suae praesidium quaerit in patria Eberi & Abrahami, existimatque illos fuisse Chaldaeos. Sed licet habitaverint in regione, quae postmodum nomen suum a Chaldaeis accepit, non tamen ideo demonstratum est, eos quoque Chaldaicae Originis, aut ex parentibus Chaldaicis ortos esse. Conf. Pfeifferus loco supra citato.

§. IV.

Qui *Graecas* literas Hebraeis antiquiores dicunt, uti quidam apud *Patricidem*, *Historicum Arabem*, nullum fide dignum argumentum in medium proferunt, sed coeco saltem ac praepostero Graecarum literarum studio, *Herodoti*, *Euripidis*, & *Homeri* lectionem scriptis Prophetis longe anteponunt; quibus vero Iosephus respondet, negando, Graecam linguam ante *Homeri* tempora extitisse. Vid. *Crucius* *Suada Delphica* p. 43. Sed quid huius aetas ad Eberi aetatem, a quo linguam Hebraeam dictam esse, & ita appellari

ce-

cepisse tuto affirmant eruditi? Merito igitur & hanc ut falsam reiicimus sententiam. Nec maioris momenti aut valoris ea sunt, quae *Pbryges, Abyssini, Chineses, Arabes, Czechii*, alique, de sua quilibet lingua proferre non erubescunt. Non enim, nisi ex sola iactantia, patrium sermonem in *πρωτογονίας* thronum collocant, fidemque rei facere nequeunt, quare eos adduxisse est refutasse.

§. V.

Omniū vero absurdissimus hic videtur *Io. Goropius Becanus*, & qui eum sequitur, *Levinus Torrentius*, dum non aliam linguam putant esse primam, quam *Cimbricam* sive *Belgicam*, eamque antiquissimam, & iam in Paradiso usurpatam dicunt; idque probare conantur primo a copia sermonis *Flandrici*, quod copiosior sit omnibus Orientis linguis. Sed a copia vel abundantia alicuius idiomatis non statim ad eius antiquitatem sive primam originem concludere fas est. Alias si haec consecutio quicquam conficeret, sine dubio in verborum copia omnibus palmam praeriperet lingua Arabica, quippe quae olim, teste *Pokokio*, unius rei aliquot Synonymorum Centurias exhibere potuit. Spec. Arab. p.155. Deinde idem demonstrandum sibi sumunt a facilitate idiomatis *Belgici*, eo quod illud reliquas facilitate sua antecedit linguas. Sed si hoc valeret, faciliorem scil. linguam etiam esse antiquiorem, sane non nisi *Perficæ* haec deberetur gloria, quippe quae omnium facillima traditur ab omnibus, qui eiusdem vel aliquā sibi compararunt cognitionem. Tertio argumentum petunt a simplicitate linguae *Hollandicae*, quoniam etiam simplicior sit ipsa *Hebraea*. Sed si inde prima diiudicanda lingua, *Chinensium* sane omnium prima erit, siqui-

siquidem illa ex meris constat monosyllabis, uti non
 ignotum peritis. Denique luam stabilire satagunt sen-
 tentiam a derivatione sive origine linguae Hebraeae ex Cim-
 brica, quippe ex qua voces nonnullas Hebraicas deduci
 posse autumant, e. g. *Adam* ab *haat-dam* i. e. agger odii,
Eva ab *Ev-vat* i. e. vas seculi, *Abel* *haat-belg* i. e. odium
 belli, *Kain* *Quat-Ende* i. e. malus finis, *Methusala*
Maact-u salig i. e. salva te, *Sem* *Semt* i. e. decet, *Cham*
Quat-Umt i. e. malus Magistratus, *Noach*, *Noat-acht* i.
 e. curans necessitatem, *Nimrod*, *Nimms-Brod* i. e.
 raptor panis, & sic in ceteris. Verum quam frivola
 omnia sint, ac absurda, Viroque erudito minime di-
 gna, quis non cognoscit? Recte proinde de *Goropio*
 iudicant eruditi, eum nihil aliud ostendisse hoc labo-
 re, quam ingenii sui acumen lusumque duntaxat fuis-
 se atque ludum. Vid. *Maderus* Orat. de lingu. Arab. p.
 9. & *Pfeiff.* l. c.

§. VI.

Quam idonea sunt, quae *Philastrius* statuit, dum
 affirmant, plures linguas, quam unam, ante confu-
 sionem Babylonicam fuisse, ex verbis, quae hic ad-
 ducemus, propriis constabit: *Credendum*, inquit, *firmi-
 ter*, etiam ante aedificationem Babel multis seculis, magnam
 fuisse inter homines linguarum & sermonum diversitatem,
 quarum tamen omnium linguarum scientiam, omnes homines
 Dei munere, usque ad constructionem turris, & linguarum
 confusionem, tenuerunt. Quod autem *Moses* dixit, terram
 fuisse labii unius, ideo dictum est, quia, etsi varia erant lingua-
 rum genera, omnes tamen se invicem intelligebant, eratque
 omnibus lingua una, & idem sermo, non quidem eorundem
 vocabulorum usu, sed eadem hominum loquentium & audi-
 entium intelligentia in *Catalogo Haeresium* Cap. CVI. Sed
 hoc, expressis Oraculi nostri verbis adversatur. Si
 enim

enim plures, quam una lingua, fuissent, quare hoc loco dixisset Moses de *uno* saltem *labio*, & in maiorem confirmationem addidisset: *unius sermonis*. Nuspiam vero vocabula *רָבַר שְׂפָה* notant intelligentiam, sed potius labium & sermonem ipsum: sicuti supra, teste *Glassio*, demonstravimus, labium hic poni pro ipso sermone sive loquendi idiomate; unde vero intelligentia? Aut quomodo se invicem intelligere potuissent, dum alii in hac regione aut civitate, alii in altera habitarent, dum alter hanc, alter illam locutus fuerit linguam, ac sua cuique vernacula placuerit? *γλωττοσύγχυσις* insuper, sive quod deinceps multae exortae sint linguae, fuit poena, si vero antea variae iam fuissent linguae, non opus fuisset, ut multitudo linguarum turrim aedificantibus in poenam cessisset, quod supra etiam iam ostensum fuit, quapropter nec haec nobis sententia arridet.

§. VII.

Spuriis itaque falsisque sententiis confutatis, superest, ut nostram, eandemque genuinam ac veram, adiiciamus, quae nempe eo redit, primam & antiquissimam linguam extitisse *Hebraeam*, id quod nunc variis, iisque praestantissimis, demonstrabimus argumentis. Et *primo* quidem non exiguum id habet momentum, quod nomina Propria, ante eluvium hominibus locisque imposita, non nisi ex hac lingua deduci exponique possint, qualia sunt *אָדָם Adam*, *הֵוָה Heva*, *קַיִן Cvin*, *שֵׁטֶט Setb*, *נֹחַ Noab*, *קֵינָן Kenan*, ac reliqua: Horum enim origo, ut recte observat *Mercerus*, idiomatici solum Hebraeo tribui potest, quippe quod solus ac unicus illorum fons est. Vanum itaque *Kippingi*, aliorumque commentum est, qui Mosen primam, nescio quam,

D

lin-

linguam transtulisse in suam tradunt. Hoc enim si concederemus, in multis sane nominibus Moses errorem errasset, neque tam accuratam atque convenientem in omnibus invenire potuisset Etymologiam; imo quaedam Nomina ita sunt comparata, ut omnem omnino respiciant translationem, prouti *B. Pfeifferus*, Vir Linguarum profecto peritissimus, unico declarat exemplo, nomine scilicet אִשָּׁה foemina, quae in lingua prima ita dicta fertur, quod desumpta sit ex אִישׁ viro. Ostendit proinde Beatus Vir, duo illa Nomina: אִשָּׁה & אִישׁ , foemina & vir, in reliquis linguis nihil prorsus invicem habere commercii, non in linguis Asiae usitatis, ut in Chaldaica *Ittha* cum *Gabra*, nec in Arabica *Entja* cum *rásjulon*, nec in Persica *Sen* cum *Naer*, nec in Turcica *Abreth* cum *Er*, nec in Armenica *Knig* cum *Mard*, nec in Coptica οσχυρι cum πιρωρι , nec in Malaica *paranpoan* cum *lacki*, &c. Sic nulla etiam ratione conveniunt in linguis, ad Europam spectantibus, non in Teutonica nostra *Weib* cum *Mann*, neque in Latina *mulier* cum *vir*, neque in Graeca γυνή cum άνηρ , neque in Gallica *Femme* cum *Homme*, neque in Italica *Femina* cum *Huomo*, neque in Hispanica, Polonica, Hungarica, Grónlandica, aliisque Occidentis linguis. vid. *Pfeiff. Dub. Vex. p. 98.* Praeterea quid causae esset, cur Moses quaedam saltem Nomina in Hebraeam transtulisset, alia vero peregrina, eaque etiam propria, retinuisset, e.g. Persica, ut כורש *Cores*, Aegyptiaca, ut פוטופר *Potipbar*, item Syriaca, Arabica, Samaritica, aliaque. Vid. *Theod. Bibliander de Comm. rat. lingv. p. 36. Buxtorffius Diss. I. Waserus in Mithrid. Gesneri p. 113. Postellus de Origg. Thom. Hayne de cogn. & Harm. lingv. p. 20. seq. add. Pfeiff. Falc.*

Fasc. Diss. p. 126. Et quid denique de nominibus antiquissimis gentium Deorumque gentilium dicendum? Nonne & illa ex Hebraea sunt desumpta? nimirum a יון *Iones*, a מדי *Medi*, ab אשור *Assyrii*, a גמר *Cimerii*, a מושך *Moschi*, &c. ita a יפת *Iapetus*, a תובל קין *Vulcanus*, & sic porro. Nihil in praesenti addere placet de *Nominibus Appellativis*, quae maximam partem huc spectant, cumque ipsis rebus adeo conveniunt, ut nullum dubium sit, linguam Hebraeam primum primo homini inditam fuisse, cumque ipso Adamo iam cepisse. Conf. *Mayerus Phil. P. 2.* *VValtberus Praet. Gr. Hebr. Calovius Crit. S. p. 75.* *Sennertus Diss. de lingv Ebr p. 14.* *Lipsius Cent. III. Epist. 44.* *Leusdenius Phil. Hebr. Diss. 17.* & ex iis *Pfeiff. Introd. in Orient. p. 7. seq.*

§. VIII.

Deinde & illud est argumentum, quod in reliquis, quae supersunt, linguis, multa inveniuntur Hebraea, tanquam primi idiomatis luculenta vestigia, manserintque in aliis pauciora quaedam primae linguae *ἰρείπια* seu rudera: quo enim propinquior gens aliqua fuit, eo plures quoque ex Hebraea voces retinuit. Sic Syri, Chaldaei, Arabes, aliique, omnia fere vocabula cum Hebraeis communia habent, & non, nisi flexione saltem, differunt. Quare *August. Steuchus Eugubinus* hanc in rem ita scribit: *Lingua Hebraica, ut ceteris linguis prior ac vetustior, ita omnibus admista & quasi interspersa, in omnibus linguis reperies quicquam ex eis vocabulis: imo lingua Chaldaica, Arabica, Syra, Punica, & Aethiopica, tantam cum Hebraea habent similitudinem, ut eadem pene esse videantur*, in Gen. Cap. XXXVII. Nec minus Lingua Indica, Persica, Armenica, Aegyptia, Troglodytica, aliaeque, ad Orientem spectantes, nonnulla ab

Hebraea sumserunt, uti testatur *Iunius Orat. de Lingv.* Ebr. ipsa quoque Sinica, Malaica, & Iavanica, imo & Americanae in quibusdam vocibus ad Hebraeam, reduci queunt, cuius unum alterumve specimen exhibet saepe laudatus *Pfeiff. Dub. Vex. p. 97. seq.* Praeterea omnes etiam Occidentis linguae aliquas habent voces, ex Hebraea prognatas, non solum Graeca, Latina, & Germanica, quarum Harmoniam cum Hebraeo idiomate ostendit *Crucigerus* peculiari opere; Sed Gothica quoque, Belgica, Hispanica, Gallica, Italica, Anglica, Wallica, Ruthenica, Sarmatica, Vandolica, Svedica, Danica, ac reliquae, ut perhibent *Waserus* comm. in *Mithr. Gesneri*, aliique, a *B. Pfeiffero* citati, *Introd. in Orient. Diff. 2. pag. 20. seq.*

§. IX.

Aliam argumentandi rationem suppeditat ipsum nomen Linguae *Hebraicae*: dici enim ita ab *Ebero*, doctissimi quique contendunt Philologi. Et quanquam sint, qui sermonem hunc ab *Abrahamo* nomen accepisse volunt, eo quod Euphratem transierit, indeque Ebraeus dictus fuerit; Non tamen videtur hoc verisimile, nulloque adstruitur fundamento, siquidem literae statim initiales diversa docent; & praeterea, si Abraham a fluvio, quod transierat, Ebraeus nominatus fuisset, sine dubio & posterius eius sic appellati fuissent, qui vero, ut constat, non Ebraei, sed Israelitae dicti sunt. *Eberum* proinde, pronepotem Semi, nomen linguae dedisse, cum eruditis affirmamus, quippe a quo, tanquam viro pio, & maioribus suis sanctissimis non dissimili, in *γλωττοσυγχύσει* pura atque incorrupta servata, & in posteros quoque suos propagata fuit, sicuti ipse a parentibus, avo proavoque Semo, vel ipso Noah, cum
vero

vero DEI cultu eam acceperat. Cum ergo haec Hebraea lingua Eberi patria seu vernacula tuit, summo omnino iure eam appellare possumus omnium primam. Vid. *Mayerus*, Phil. Sacr. Part. II. p. 255. seq. & *Hottingerus*, thes. Phil. p. 4. aliique.

§. X.

Ad hoc non leve accedit robur ex oraculo nostro, ubi dicitur, *omnem terram habuisse unum labium vel linguam*. Hanc vero unam fuisse ex illis, quibus Oriens utitur, extra dubitationis aleam est positum. Talis enim lingua omnino spectabat ad primos nostros parentes, quippe qui in Oriente non solum conditi fuerant, sed etiam sedem ibi domiciliumque collocarant. Quod si vero quaeras: quaenam illa fuerit? Respondemus, non aliam, nisi quam DEus primis hominibus indiderat, perfectam scilicet, omnibusque partibus absolutam: Quemadmodum enim Adam in statu integritatis tantam habuit perfectionem, quantam nemo hominum in his terris; ita nullum est dubium, quin lingua quoque eius perfecta fuerit. Iam vero in nulla alia lingua maiorem deprehendimus perfectionem, sive respicias nomina ante- sive post diluviana, quam in Hebraea. Hic enim vel tribus literis exprimitur, quod aliae per plures vix reddere possunt, huic etiam ceterae natales suos debent, omniaque nomina sacra inde deducuntur. Bene igitur *Calovius*: *Nulla earum ab Hebraea tam longe recedit, quin vestigia quaedam & similitudinem matricis suae retineat*. Crit. Sacr. pag. 75. Quare omnino consequitur, non nisi hanc esse linguam primam. Consul. hic *Francisc. Junius*, vir inter Calvinianos celeberrimus, Orat. de Lingv. Ebr. & add. *Buxtorfius* in dissert. §. 39.

§. XI.

Ad extremum, non exiguum sententiae nostrae pondus affert auctoritas gravissimorum Virorum, quos ex *Iudaeis* pariter ac *Christianis*, imo ipsis etiam *gentilibus* consentientes hic habemus. Et quidem ex *Iudaeis* partes nostras agit Vir apud Hebraeos maxime celebris, *Rabbi Simion ben Iochai*, qui in libro *Zohar* ita scribit: ואי תימא לישנהון אמאי איתבדר ובלבל ליה הק בה אלא בגין רכולהון ממלון בלשון הקדש וההוא לישנא קא עביר לון סיועא בגין רבעובדא ובמלולא רפומא תלון &c. i. e. *Si dicas: Lingua ipsorum cur divisa fuit, & quare confudit eam Deus Sanctus benedictus? Ideo, quia omnes illi loquebantur linguam sanctam, & ista lingua praestabat ipsis auxilium, eo quod in opere & sermone oris pendent res istae, quae ad coniunctionem animorum pertinent. Et hoc ipso afferebant auxilium illi loco, quem cupiebant erigere: huiusque rei causa confusa fuit lingua ipsorum, ne possent in effectum deducere voluntatem suam in lingua sancta. Quamprimum enim fuit mutata, lingua ipsorum non prosperabantur in opere illo, quia Virtutes vel exercitus superiores (Angeli) non intelligunt, neque noscunt, nisi linguam sanctam. Et cum confusa fuit lingua, delibata fuit virtus illorum, & confracta fortitudo ipsorum. Eo tendit etiam *Abraham de Balmis* in principio Grammaticae suae: ואם יאמר אומר מנן לנו שדו הלשון העברי: נשיב ונאמר כמו שלמדונו רבותינו שכיון שמצינו שהארם הניח שם לאשה נגזר מאיש כמו שכתוב שם סימן ב' גם כן לזאת יקרא אשה כי מאיש לקחה זאת ולא נמצא לשון אשר בו יתבן זה זולת הלשון העברי לכן נאמין כי זה הלשון שבו הבורא הסכים עם האדם: hoc*

hoc est: Si quis autem dicat, unde habemus, quod ista lingua prima sit Hebraica? Ei respondebimus, sicuti nos Rabblini nostri docuerunt; cum inveniamus Adamum imposuisse nomen mulieri, derivatum a nomine Viri, sicuti scriptum est Gen. Cap. II. nullam autem aliam reperiamus linguam, in qua hoc conveniat, praeter linguam Hebraicam, idcirco credimus, hanc eam ipsam esse linguam, in qua Creator consensit cum Adamo. Huc etiam commode referri possunt ea, quae Rabbi Salomon Jarchi, & Rabbi Levi ben Gerson in Commentariis ad C. XI. Gen. annotant, ubi prior dicit: שפה אחת Labii unius, idem esse, ac לשון הקדש Linguae sanctae. Posterior: וידמה שזה הלשון שהיו סרברים בו תהלה לשון הקדש כי אדם הראשון דבר בלשון הקדש: i. e. Apparet, quod iste sermo, quem locuti sunt in principio, fuit lingua sancta. Nam Adam primus locutus fuit linguam sanctam. Cum his consentiunt Ephodeus Cap. III. Rabbi Abraham Aben-Esra in Gen. XI. 1. Isaac Abarbenel in Comment. suo in Gen. fol. 28. Col. 3. & 4. R. Asarises in Meor enajim Cap. 57. R. Moses ben Nachman ad Exod. XXX. 13. R. Isaac Aramab in Akedath litzchak cap. 62. Iebuda Hallevi in libro Cofri part. 2. §. 68. R. Iebuda Muscatus in lib. Cofr. fol. 116. col. 3. Sic & Targum Ionath. Targum Hierosolym. ipse etiam Iosephus Lib. I. de antiqv. Iud. Cap. IV. aliique a Buxtorfio adducti de lingv. Hebr. Orig. §. 30. seqq.

§. XII.

Ex CHRISTIANIS deinde, iisque veteribus, nobis adfertiuntur Patres, coetusque antiquioris Doctores, ut Hieronymus, qui Linguam Hebraeam omnium linguarum matrem i. e. primam appellat, sup. Cap. III. Sophon, vers. 18. it. in Epist. ad Damas. Idem etiam affirmant Origenes in Numer. Homil. XI. Ambrosius in Epist. ad Phi-

Philip. Cap. III. Eusebius de praepar. Evang. Lib. IX. Cap. IV. & Lib. X. Cap. II. Augustinus Lib. I. de Mirabil. S. Script. & de Civ. Dei Lib. XVI. Cap. XI. Nic. Lyra in Gen. Cap. XI. & Ies. XIX. 18. imo omnes ex antiquitate primam antiquissimamque hanc venerantur linguam, praeterque Theodoretum, supra §. II. inter contrasentientes adductum, nemo est, qui dissentiat. Ex Recentioribus vero primum nominandus est Vir doctissimus, Iobannes Mercerus, qui in Commentar. ad Gen. XI. I. ita scribit: Non est quaerendum: quaeenam fuerit prima illa lingua, qua ante divisionem linguarum homines sint usi communiter. Pro certo & persuaso & indubitato habeo, primigeniam illam linguam Hebraicam fuisse. Adde etyma omnium nominum priorum ante diluuium, & post, usque ad divisionem linguarum, non posse ulli alii linguae tribui, sicut nec aliorum post illud tempus, quibus Moses utitur, quam Hebraicae, ut Adam ab Adama, חַוָּה Chavah, quod mater omnium viventium fuerit, quorum omnium & ceterorum fons non nisi Hebraicus esse potest. Deinde huc spectat Benedictus Pererius, Vir non exiguae eruditionis, mentem suam Lib. V. in Genesin sic aperiens: Lingua, quam primum habuit Adam, & secundum quam imposuit animalibus nomina, concessu omnium Hebraea fuit, quae ante divisionem linguarum non appellabatur Hebraea, siquidem una duntaxat lingua erat communis omnium hominum, ut scriptura testatur Gen. XI. I. Et libro VI. scribit: Ex interpretatione Kain satis liquere, linguam, qua primi homines usi sunt, fuisse Hebraeam, ut in qua sola omnium linguarum huiusmodi vocabulorum interpretationes locum habent. Idem etiam profitetur Cornelius Bertramus in Praef. Grammaticae suae: Quis vel mediocriter, inquit, literis Hebraeis tinctus, cum audit ex Genes.

III. 20.

III. 20. *Adamum appellasse uxorem suam חַוָּה Chavab, quod videlicet ipsa mater fuerit omnium viventium, statim non deprehendat: Adamum Hebraice locutum fuisse, nomenque uxori suae ex verbo חָיָה, quod vivere significat indidisse? Cum quibus etiam facit Franciscus Junius in Oratione de lingua Hebraea, S. ante s. Pagninus in Institut. Hebr. Cap. I. Guil. Postellus de Origg. Leusdenius Phil. Ebr. dissert. 17. Just. Lipsius Cent. 3. Epist. 44. Steph. Menochius Lib. I. de Rep. Ebr. Cap. II. qu. 14. Rob. Rollocus de efficaci vocatione, p. 99. Buxtorffius Diss. de orig. & antiqv. Lingv. Ebr. Crinesius in Ba bel Cap. I. Bibliander de communi rat. ling. p. 36. Brian. Walton Prol. 3. n. 3. seq. Doughtbeius Anal. p. 21. Bochartus in Phaleg. Lib. I. C. XV. pag. 57. Waserus ad Mithrid. Gesn. p. 113. Marsilius de fonte lustrali p. 15. seq. ac reliqui; & ex nostris imprimis B. Waltherus Praef. Gramm. Ebr. B. Calovius in Crit. S. pag. 74. & in bibliis illustr. ad Gen. XI. 1. Pfeifferus in dub. vex. & de lingv. Protopl. in fascicul. Diss. p. 121. it. Introd. in Orient. p. 5. sqq. Sennertus diss. de ling. Ebr. pag. 14. Schickardus Ebr. Trichter in fin. aliique plures. Denique ex GENTILIBUS quoque fuerunt, qui hebraeum propugnarunt idioma, ut Iosephus, Eusebius & Cyrillus tradunt, eorumque testimonia adducunt. Rabbi etiam Gedalia: sapientes, inquit, Gentilium investigarunt, quacnam esset lingua antiquorum, unanimi tandem omnes sententia statuerunt, ab Adamo ad divisionem usque sermonem eorum fuisse Hebraeum, qui esset relictus Abrahamo Patri nostro, eiusque semini. Plura ut adiiciantur testimonia, opus non est, acquiescimus ergo in his, & ad postremam progredimur Sectionem.*

E SECTIO

SECTIO III. PROBLE- MATICA.

Falfis proinde minusque genuinis e medio sublatis
sententiis, nostraque maxime corroborata, variis-
que rationum momentis munita, operae pretium erit,
si unam alteramve Quaestionem, nostrum imprimis
Thema explanantem, proponamus, breviterque eas-
dem solvamus ac ventilemus.

QUAESTIO I.

*Interciditne in γλωττοσυγχύσει lingua prima, an
veropost eandem adhuc conserva-
ta est?*

Duo hic in quaestionem veniunt, disquiriturque
tum de linguae primae *interitu*, tum de eiusdem quo-
que *conservatione*. Quod ad prius attinet, supra in
Sectione altera §. I. contra *Grotium*, *Cluverum*, *G. I.*
Vossium, *Ios. Scaligerum*, *Kippingum*, *Georg. Hornium*, alios-
que, affirmantem hic tenentes sententiam, primum-
que idioma plane periisse statuentes, illud negavi-
mus, ac denuo peruegamus. Primo enim nec in
nostro oraculo, nec alibi in scripturis de interitu primi
sermonis quicquam reperitur; & quid causae deinceps
esset, cur DEus immortalis linguam sibi quasi
vernaculam annihilasset, vel perire passus esset? Non-
ne est lingua, qua ipse cum Protoplastis patribusque
antediluvianis locutus est? qua suam ipsis aperuit vo-
luntatem? quae legem quoque arboris vetitae fan-
civit? Et quanquam in γλωττοσυγχύσει variae deinceps
exortae sunt linguae, non ideo tamen ad primae inte-
ritum statim concludere licet. Linguarum enim
per-

perturbatio ad eos saltem pertinuit terrae incolas, qui turris extruendae interfuere; pios vero Patriarchas, eorumque filios, scelere hoc non imbutos, a poena hac fuisse immunes, quis inficiaretur? Hi proinde, ex familia Semi prognati, salvam omnino puramque semper linguam conservarunt Hebraicam, inque posteros deinde propagarunt. Et sic ad alterum quaestionis momentum nunc affirmando respondemus, assentimurque Philologis doctissimis, statuentibus, primum hoc idioma etiam post *γλωττοσύγχυσις* locum adhuc obtinuisse, inque familia *Eberi* conservatum fuisse, quippe a quo nomen postea accepit, & lingua appellata est *Hebraea*. Equidem & hic quaedam eruditorum datur dissensio: sunt enim, qui linguam hanc apud *Cananaeos* vernaculam mansisse arbitrantur, videlicet *Bochartus*, *Canaan* L. II. Cap. I. *Erpenius* Or. de ling. Ebr. *Genebrardus* Chron. L. I. p. 33. aliique plures, ea potissimum de causa, quod *Hebraea* ab *Esaiia* dicatur *Cananaea*, Cap. XIX. 18. sermoque exploratorum, qui *Hebraei* erant, a *Cananaeis* sine interprete sit perceptus, & quae porro urgent. Sed verisimile vix videtur, DEum Linguam suam sanctam conservare voluisse in impia eiusmodi gente, a cuius consortio alias populum suum gravissime dehortatur *Deut.* VII. 2 sqq. & quare turba *Chamitica* a poena *γλωττοσύγχυσεως* immunis statueretur, cum tamen primam in extruenda turri fuisse facile iudicari potest? Propheta quidem, quod non negamus, *Hebraeam* linguam dicit *Cananaeam* loco adducto; inde vero non consequitur, illam quoque fuisse vernaculam *Cananaeorum*. Sed dicebatur saltem ita, quoniam in terra *Cananaea*, ab *Hebraeis* iam occupata, usitata erat. Neque obstat,

exploratores intellectos fuisse a Cananaeis sine mentione interpretis; nam nulla itidem est consecutio, si alter alterius sermonem intelligit, ergo unum etiam idemque uterque habet idioma nativum. Instamus enim, Pharaon & Abraham sine interprete sunt collocuti Gen. XII. 18. quis vero ideo linguam Aegyptiam & Hebraeam unam diceret? Sic Laban & Iacob etiam sine interprete suos conferebant sermones, non tamen eandem habuisse vernaculam, satis constat ex Gen. XXXI. 47. alter potius alterius linguam calluit, deque exploratoribus adeo nullum est dubium, quin Cananaei idiomatis gnari fuerint. vid. *Lyr. & Sanctius in h.l. it. Buxtorfius Diss. III. qv. i.* Quapropter in nostra perstamus sententia, *Eberi* progeniem, ac stirpem, primam utique conservasse linguam & propagasse, Vetusque deinceps Instrumentum a Mose ac reliquis Prophetis non alia fuisse consignatum: Sicuti proinde verbum DEI manet in aeternum, ita etiam lingua, qua illud nobiscum communicatum est; Quare ad haec usque tempora illam extitisse puram & incorruptam, neque unquam interiisse ex dictis luculenter patet. Consul *Leusdenius Phil. Ebr. p. 194. Mayerus Phil. Sacr. Part. I. p. 21. sq. & P. II. p. 335. sqq. Füllerus Miscel. L. IV. Cap. IV. B. Pfeifferus Dub. Vex. pag. 96. & Introd. in Orient. Disqu. I. p. 9. seq. aliique supra iam citati.*

QUÆSTIO II.

*Unde prima lingua appellatur Hebraea,
itemque sancta?*

Linguam, quam nunc appellamus Hebraeam, communi loquelae aut sermonis nomine ante confusionem

nem Babylonicam notatam fuisse, constat ex Gen. XI. 1. ubi *omnem terram unius labii ac sermonis fuisse* legimus; in sequentibus autem temporibus, ac post *γλωττοσύγχυσιν* illam, cum alia insuper oborirentur loquendi genera, peculiare nomen adepta est, vocataque *Hebraea*, itemque *sancta*. Et quidem, quod ad nominis prioris originem derivationemque attinet, non nisi ab *Ebero*, Semi Nepote, nomen hoc accepisse, praecipuorum Philologorum mens est ac sententia, eo quod *Eber* non primam solum linguam conservaverit, sed *Hebraeam* insuper condiderit gentem. Et quanquam non omnes hic consentiant, sed Patrum quorundam nixi auctoritate, e. g. *Theodoret* Qv. LX. in Gen. *Chryso-stomi* Hom. XXXV. in Genes. *Ambrosii* in Phil. Cap. III. *Augustini* Quaest. XXXIX. in Gen. *Hieronymi* in Esa. xix 18. aliorumque, natales vocis *Abrahamo* adscribant, & ab *עבר* seu *transitu* eius trans Euphratem in Cananaeam, linguam hanc *Hebraeam* dictam velint; infirmatam tamen ac confutatam iam tum dedimus hanc sententiam sectione secunda §. IX. quare hic non repetemus. Alii vero, inter quos *Münsterus* Gramm. Chald. *Forsterus* Dict. Ebr. & *Georg. Amira* Praef. Gramm. Ch. vestigia prementes Rabbitorum, *Bechai*, *Rambani*, & *Raschi*, nomen hoc deducunt nescio a qua regione *עבר* vel *עבר הנהר* seu *Trans Euphrataea*; quibus vero assensum nostrum praebemus, si eiusmodi regionem dari satis probaverint: quamdiu autem illud non faciunt, perstamus in nostra sententia, Linguamque hanc non nisi ab *Ebero*, vir pietate insigni, deducimus; sicuti enim perverso huic operi non interfuit, ita nec poena *γλωττοσύγχυση* eum tetigit. Recte igitur *Clar. Bochartus* hanc in rem scribit: *Aliorum linguis*

confusis, hi (hoc est pii foederis participes) propriam retinuerunt, i. e. antiquissimam illam, quae ab Hebero Hebraea dicta est, quia sarta tectaue mansit apud Heberi posteros. in Phaleg. L. I. Cap. X. Et Augustinus, sententiam priorum ipse retractans ac reiiciens, ait: Quoniam in familia Eberi communis antea omnium lingua remansit, divisis per alias linguas ceteris gentibus, ideo deinceps Ebraea est nuncupata, tunc enim opus erat distinguere eam ab aliis linguis nomine proprio, sicut aliae quoque linguae vocatae sunt nominibus propriis. Quando autem erat una omnium, nihil aliud, quam humana lingua, vel humana locutio videbatur, quod ea sola univsum genus humanum loquebatur. Lib. XVI. de Civ. DEI Cap. XI. Add. Buxtorfius, Hottingerus, Leusdenius, Mayerus, Waltherus, Calovius, ac ceteri, supra iam dicti. Sed quod nunc ad Sanctitatis nomen attinet, non immerito Clariss. Buxtorfius circa captivitatem Babylonicam illud cepisse arbitratur, cum scilicet Iudaei sermoni advescerent alieno, h. e. idiomatico Chaldaico; ut ergo a communi ac vulgari loquendi genere distingueretur Lingua Hebraea, nomen sortita est *διακριτικὸν*, atque sacra nuncupata. Variis autem de causis hoc notatur nomine, & quidem primo propter auctorem sanctissimum, nempe DEUM, qui primum ea usus est; Deinde ob res sacras, quas proponit, dum sanctissimam Numinis voluntatem nobis manifestat; Praeterea ob vim potestatemque, homines, codicem imprimis hac in lingua legentes, efficiendi sanctos; Tum propter populum, cui haec lingua peculium erat; Sic ob terram quoque, seu locum sanctum, Palaestinam, vel ipsam Hierosolimam ac urbem illam sanctam; &c. Ob has igitur, aliasque rationes, a multis Iudaeorum pariter atque Christianorum non tam
Hebraea,

Hebraea, quam sancta appellata est, conf. Buxtorfius Diss. I. §. 41. seqq. Casaubonus Exerc. IX. ad Baron. & Leusdenius Phil. Ebr. Diss. 21. p. 213. seqq.

QUÆSTIO III.

Quare Codex Veteris Instrumenti lingua hac conscriptus est?

Non una de causa hoc factum esse docent Philologi, et primo quidem ab antiquitate argumentum desumunt, quoniam primo statim homini Deus linguam hanc indiderit, qua de iam superiori egimus sectione. *Alterum* deinceps, quod urgent, est prima mysteriorum sacrorum manifestatio, siquidem et lex prima Gen. II. 16. & Prot-Evangelium, cap. III. 15. lingua tradita sint Hebraea; ut ergo divina scriptura pronuntiationi ac promulgationi legis Evangeliique primae congrueret, non alio notari idiomate eam voluit DEUS, quam Hebraeo. *Tertio* rationis loco afferunt, quod Veteris Instrumenti Scriptores omnes fere fuerint Hebraei; ea igitur, quam prae ceteris callerent, lingua verbum Dei hominibus et annunciasse, & literis consignasse. *Quarto* causam accersunt a populo, in cuius gratiam DEUS codicem sacrum conscribi curaverit, a populo videlicet Hebraico; hunc enim in peculium elegisse Deum, Exod. XIX. 5. 6. huic etiam elogia Dei concredita fuisse Rom. III. 2. ut proinde eo facilius mandata Dei perciperet, eademque eo expeditius exequeretur, lingua nativa ac vernacula; hoc est, Hebraea, conscriberentur, necesse fuisse. *Quinto* ad has rationes adiun-

iungunt linguae dignitatem, puritatem, facilitatem, ac perspicuitatem, eo quod inter omnes, quae hodie extant, lingvas nullam aptiorem, digniorem, facilioremq; deprehendamus, quam quidem Hebraeam: Et profecto haec omnia admodum perspicue, et in compendio quasi proponit, breviter cuncta eloquitur, & ubi multis alias verbis ad rem recte exprimendam opus habemus, hebraea paucis, imo unica saepe reddit dictione. Plures huius rei causas suppeditatas vide apud B. Calovium in Critico sacro, Diatrib. III. §. VI. p. 75. seqq.

QUAESTIO IV.

Convenitne Lingua, quam Iudaei hodie loquuntur, cum lingua prima, quae in Codice sacro legitur?

Quanquam linguam hanc Iudaei primo habuerunt purissimam, puramque retinuerunt usque ad captivitatem Babylonicam, uti satis colligitur ex 2. Reg. XVIII. 26. & Dan. I. 4. illam tamen postmodum defuisse, ac in corruptum aliquod idioma degenerasse, inficiari haud possumus. Equidem in servitute Aegyptiaca conservata deprehenditur, neque ulla, licet per tot annorum spatia, sordes contraxisse constat: Quare & maioribus suis laudem tribuunt summam Rabbini, quod in Aegypto tria non mutaverint: *שמותם מלבנם ולישונם* i. e. *nomina, vestimenta, & linguam suam.* vid. Elias in praefat. Methurgem. & Bochartus Phaleg. pag. 59. An vero in & post *מלכות*

TOIXE-

τοιχεισίαν Babyloniam pristinum quoque vigorem re-
tinuerit, Iudaeisque adhuc vernacula & familiaris
fuerit, de eo non conveniunt Philologi: Sunt, qui hoc
negant, ut *Buxtorfius* Diss. III. p. 156. sq. *Hottingerus* Thes.
Phil. Lib. I. Cap. III. p. 282. *Aldretus* de Orig. I. Hisp. L. I. c.
XXII. p. 138. & de antiqu. Hisp. L. I. c. XIX. p. 87. sq. ac
ceteri; sunt pariter, idem affirmantes, ut *B. Iac. Mar-*
tini Disp. XIII. de Version. Script. S. thel. 62. seq. *Mayer-*
rus Phil. Sacr. Part. II. cap. 2. *Calovius* Crit. Sacr. pag.
313. aliique. Quicquid vero sit, licet durante capti-
vitate, & reduces e Babylonia, linguam patriam
non prorsus dedidicerint Iudaei, sed viventibus Pro-
phetis, Daniele, Esdra, Nehemia, Zacharia, ac re-
liquis, eam adhuc tenuerint; mox tamen ab excessu il-
lorum florem suum amisit, praevaluitque Chaldaica,
& Syro-Chaldaea, tandemque post tempora
Christi, omni puritate everfa, in aliam pene linguam
abiit, ex Hebraea, Chaldaea, Syriaca, Aramaea, A-
rabica, Persica, Graeca, Latina, aliisque conflata.
Hinc tres solent enumerare linguae sanctae aetates
Philologi: primo *aetatem floridam*, qua ἐν ἀκμῇ consti-
tuta erat, purissimaeque conspiciebatur, ad μετοιχεισίαν
usque Babyloniam: deinde *aetatem languidam*, qua
παρὰ ἀκμὴν, vigorisque pristini remissionem ac dimi-
nutionem sentiebat, ad tempora usque Christi; de-
nique *aetatem confectam* ἢ κατὰ ἀρτέσιως, qua, everfa peni-
tus lingua Hebraea, in aliam prorsus degeneravit, inde-
que variarum Linguarum chaos aliquod enatum est.
Recte igitur *Füllerus* scribit: *Post deportationem Babylo-*
nicam non, ut olim, pura & sincera erat lingua Hebraeorum,
sed mista confusanea, vereque (ut ita dicam) vernacula,

F

b.e.

b. e. quae vernas d. ceret, servos videlicet domi natos atque, educatos apud Dominos suos Assyrios, Chaldaeos. Syros. Lib. VI. Miscell. c. IX. Alii quatuor linguae Hebraeae aeta- tes constituunt, de quibus accurate egit B. Sennertus Diff. de lingv. Ebr. Ut proinde breviter rem conficia- mus, desiit Lingua Hebraea hodie apud Iudaeos esse vernacula: In Synagogis quidem aliisque conventi- bus lingua illa pura & primigenia adhuc praelegitur, eorumque Magistri studiose eam discunt, sed in lo- quendo aut scribendo multa aliena, & ad hanc lin- gvam non pertinentia, inprimis a vulgo miscentur, ut adeo nil minus, quam sermonis Hebraei indolem, quatenus in purissimis Israelis fontibus deprehendi- tur, prae se ferat. Vid. Gerson Talmud. p. 228. Buxtor- fuis Diff. III. p. 158. eiusque Pater, Syn. Iud. c. III. p. 109. add. Calovius & Pfeifferus loc. saepe dict.

QUAESTIO V.

Qua lingua utuntur Beati in vita aeterna?

Sunt, qui existimant, electos aliquando omnes locuturos esse Lingvas, ut *Salmero Comm. in 1. Cor. XIII. 8. p. 171. & Phil. Nicolai de vita aeterna L. V. pag. 1081.* his inprimis de causis, quia tum omnes omni- um habituri sint notitiam, tum etiam Philip. II. 2. di- catur: *Omnis lingua confitebitur, quod Dominus sit Iesus Christus.* Quae vero sententia Philologis minime probatur: Si enim hoc concederetur, certe pecca- tum in vita sempiterna non desiisset, eo quod diver- fitas lingvarum ortum traxit ex peccato Genes. XI. 1. cessan-

cessante autem peccato, cessabit etiam diversitas illa
 idiomatis e peccato exorta. Deinde quaeque cete-
 rae linguae multum habent imperfectionis, omne
 autem imperfectum cessabit, eruntque cuncta perfe-
 cta: Quavis ergo lingua electos locuturos esse ali-
 quando, verisimile vix videtur. *Corn. a Lapide* in I
 Cor. XIII. p. 329. et, qui cum eo faciunt, *Waldonus*
 proleg. III. n. 25. *Bochartus* phaleg. p. 59 aliique, et
 ex nostris *Brochmandus* Syst. Theol. L de vit. aet. cas.
 4. statuunt, novam electis infusum iri linguam e-
 minentiorem longe et excellentiorem, eamque Ange-
 lis solum usitatam; idque sequentibus probare conan-
 tur rationibus: *Primo* quia Paulus omnes cessaturas es-
 se linguas affirmet I. Cor. XIII. 8. *Deinde* quia idem
 paulus in tertium coelum raptus, *ῥήματα ἀρρήτα* au-
 divisse dicatur 2. Cor. XII. 4. *Tum* quia Deus ipse
 de beatis pronunciet: *Tunc vertam ad populos labium*
electum. Soph. III. 9. *Denique* quia futuri simus *ισάγγελοι*,
 Angeli vero etiam lingua gaudeant, cuius expressam
 mentionem facit ipse Apostolus I. Cor. XIII. 1. Ve-
 rum & haec sententia coniecturis magis, quam cer-
 tis firmisque nititur argumentis. Plerique Philolo-
 gorum pariter ac Theologorum Hebraeae linguae
 usum propugnant in altera vita, idque varias ob causas
 quas non nostris, sed *B. Scherzeri* verbis, hic recense-
 bimus: *Probabiliter*, inquit, *Ebraeae usum* *svadet* I) *U-*
nitatis populi & civitatis. II. *Reliquae Linguae sunt poena*
peccati. III.) *Exemplum hominis integri.* IV.) *Dictum,*
quod Raymundus Martini allegat Soph. III. 9. Tunc (quod
de extremo die ex Targum Jonathae intelligit) convertam
ad populos labium electum. V.) *Alii colligunt idem ex eo,*

quod Angeli accinunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus
 Zebaoth Esa. VI. 3. & Sancti in coelis cantaturi dicuntur Amen,
 Alleluia Apoc. XIX. VI) Christus ex coelis Saulum ἐπαίδι
 διαλέκτω Act. XXVI. 14. est allocutus. Syst. Theol. Loc.
 XXIII. p. 636. Add. Genebrardus Chron. p. 32. Petrus
 Galatinus de Arcanis c. V. Lib. XII. cap. IV. Fr. Georg. Ve-
 netus Harm. Mundi Cant. 3. T. VII. cap. 2. Remigius
 ad I. Cor. XIII. Leusdenius Phil. Ebr. p. 202. aliique, ex
 nostris Dannbauerus Hodof. Phoen. XII. p. 1491. Pfeif-
 ferus Introd. in Orient. Qu. VII. p. 12. ac reliqui. Ve-
 rum & hic cuiuslibet liberum relinquimus iudicium. Bea-
 tos quidem non mutos in altera vita extituros, sed
 externa voce glorificaturos esse DEum, exinde pa-
 tet, quod Apoc. VII. 12. laus vocalis, & Cap. V. 8. citbarae
 aureae ipsis tribuantur, qua vero ex lingua laus illa
 constiterit, quoniam nil certi in Scripturis reperitur,
 alteri reservabimus vitae, ubi & vox, & lingua, & mo-
 dus, facile innotescet. Vid. Ang. Roccha a Cameriano
 Bibl. Vat. p. 80. Haymo ad Esa. XIX. 18. Vagverius Instit.
 c. XIX. Buxtorffus Diff. III. qu. 6. Gerbardus L. de Vit. aet.
 §. 146. Pfeifferus l. d.

QVÆSTIO VI.

Quam linguam loquuntur Angeli?

Angelos loqui posse, & locutos fuisse, patet ex
 variis Scripturae locis: ita cum *Lotbo* sunt locuti
 Gen. XIX. 2. cum *Iosepho* Matth. I. 20. cum *pastoribus*
 Luc. II. 10. & aliis; de modo autem loquendi, ac ser-
 mone ipso, valde solliciti sunt Auctores: *Thomas, Ca-*
ieta-

ietanus, Capreolus, Valentia, ac imprimis Tannerus, volunt, angelos loqui per voluntatem manifestandi suum actum, ad cuius intuitum DEus producat speciem de eo actu in Angelo, cui alter vult illum manifestare. Durandus apud Svarezium, Cap. XXVI. aliique, per signa materialia; alii vero apud Arriagam per signa spiritualia, Tract. de Angelis Disp. XII. Sect. I. n. 3. alii aliam loquendi rationem angelis adscribunt. De Iudaeorum fabulis leg. Hackspanius Not. Philol. P. II. pag. 870. Musculus non simpliciter, sed secundum quid Angelos loqui statuit, ita scribens: Spiritibus nulla est corporea locutio, nulla vox transiens, nullum idioma, nec Hebraicum, nec Graecum, nec aliud quodcunque competit, nisi temporaria dispensatione per organon aliquod prolatam; & sic Angelis non hypostaticam, sed parastaticam tantum linguam attribuit. Cum proinde negari nequit, Angelos loqui, aut locutos fuisse: Omnem enim, inquit Scheible-
rus, locutionem Angelis si negaremus, homines magis appropinquarent Deo in perfectione ista, quam Angeli Lib. II. Metaph. Cap. IV. Tit. XIII. art. I. n. 215.: certam illis assignare linguam licitum erit; sed nullam ex omnibus aptiorem dignioremque lingua Hebraea novimus, siquidem 1.) est antiquissima, ipseque Deus, tanquam longe nobilior Spiritus, eadem usus est. 2.) Esaiae VI. 3. angeli semper hymnum illum suavissimum canere dicuntur: Sanctus, Sanctus, Sanctus est Dominus, omnis terra plena est gloria eius; hic vero hymnus non nisi in lingua reperitur Hebraea, & Propheta verba haec ex ipso angelorum ore audivit, inque libro suo Prophetico statim annotavit. 3.) denique ex Gen. XI. 1. constat, ab Adamo ad Nimrodum

dum usque, adeoque per mille septingentos, & amplius annos, unam semper fuisse linguam, ceteras postea poenae loco in mundum venisse, hominibusque inditas fuisse: poena autem semper supponit delictum, delictum vero in Angelis bonis nunquam deprehendes, quippe qui in bono ita confirmati sunt, ut cadere, etiamsi velint, nequeant; ideo nullam aliam ex omnibus, quas novimus, lingvis, loqui potuisse Angelos, quam Hebraeam, probabiliter ex haecenus dictis colligitur, eo quod haec longe ante poenam Babylonicam extitit. Et sic breviter quoque mentem nostram de hac exposuimus quaestione, quam tamen magis curiositatis, quam certitudinis gratia movimus, prope memores illius Augustini, qui *facilius, inquit, possumus dicere, quid non sit in vita aeterna quam quid ibi sit.* Gratias interim agimus DEO O. M., labori huic ex alto benedicenti, ipsique Soli sit maneatque

Omnis Honor & Gloria!



Per-Eximio atque Praestantissimo
DOMINO,
ERNESTO GOTTLIEBIO
EBHARDO,
Freyberga - Misnico.

S. P. P.

Vidi specimen Tuum, sed non tantum vidi, verum
etiam summa cum voluptate animi aliquoties ita
perlegi, ut nihil me continua laborum series meo-
rum morari valuerit. Erudita quippe Tua sine
omni invidia in publicum protrudis non tralatitia illa, sed
plane singularia, pleneque haecenus nondum excogitata. Hae
me statim movent, ut sideribus Te, VIR JUVENISEX-
CELLENS, inferam, non ad metum civium nostrorum Aca-
demicorum contumeliamque, sed in honorem Tuum, a cae-
teris enim in universum omnibus robore ac praestantia differs,
in literis tali tantaque comparata, ut Libero Marte nunc
tela vibres, nunc vibrata suscipias, alacer virtute opponen-
tium, laetus, quoties aut cassidi Tuae, ut sic loquar erudi-
ta, aut clypeo gravior ictus incideret. Sic solatium fessis,
agris opem in futurum feret industria Tua stupenda, & si inter
reliquos Academicos talis esset, hac mihi commendatione dignus
non videreris. Tuam enim solertiam illam imitationis ar-
dor, semperque melior aliquis (si adesset) accenderet. Certe
ini-

initium studii Tui Academici mirer, an finem, plane sum ne-
sciis? Multum etiam est, quod perseverasti, plus tamen,
quod non timuisti, ne perseverare non posses. Bona itaque
ominor maxima, finis Tuorum Studiorum non cedit princi-
pio, sed multum hoc ipsum superabit, siquidem perges sicut
occepisti. Hoc Tuae pietatis, Tuae sedulitatis, Philologicae
Tuae capacitatis opus est. Deus Trinus hoc videbit,
DEUS Altissimus ausus Tuos promovebit! Trahet TE sua
gratia. Trahet TE sua providentia! Trahet TE sua Bene-
ficentia, perque Summos Patronos studiorum Tuorum cu-
ram continuam geret. Trahet TE propediem ad functionem
publicam, ad operum publicorum expeditionem, ad copio-
sam fructificationem. IPSE erit perpetuo Tibi praesens &
PRÆSES, ut sub eius praesidio cuncta fideliter atque felici-
ter geras. Quod meae preces hisce lineolis confidenter ex-
petunt. Vale optime in Domino

Dab. in Academia Vitem-
bergensi. D. 1. Jul. 1706.

JOH. GEORG. NEUMANNUS,
D. & P. P. O.

Coll. dis. A. 108, musc. 27